


*Hc. He. 26.*



CARMEN  
DE  
ABOMINANDO  
MISSÆ  
SACRIFICIO

Publicè  
in Academia Heidelbergen-  
si recitatum

à

SIMONE STENIO  
LOMACENSI.



---

Anno M D C VII.

NOBILISSIMO VIR O  
OTHONI A GRUNRAD SENATUS EC-  
CLESIASTICI IN PALATLNATU INFERIORE  
præfidi vigilantissimo, amico & compatri  
suo honorando.

**S**CRIBIT quidam Jesuita magni inter suos propter eruditionem nominis: Si fiducia Christi esset falsa, magis profecto esset falsa & detestabilis quam alia quælibet Secta: ea namque docet de Deo & rebus divinis: quæ si falsa sunt, nefariam sanè superstitionem & execrandam impietatem contineant necesse est. Hac vir ille doctus non exarasset si aliquid saltem cogitationis suscepisset de abominando Missæ Pontificiæ Sacrificio, quod & in Deum contumeliosum est, & fidei Christianæ perniciosum, subruens fundamentum nostræ religionis, quam creditur Christum solum esse verè sacerdotem novi testamenti, & mortem eius unicum novi testamenti sacrificium propitiatorium, reale, & propriè dictum. Pontificij contra electis pastoribus innumeros sacerdotes in Ecclesiam introduxerunt, & sacrificium confinxerunt quo offerunt Dei corpus & sanguinem Christi, sub speciebus panis & vini, quod quidam sacrificium volunt esse i[n]casu pro peccatis nostris. Quantum absurditatis & impietatis in hoc dogmate lateat, tibi, vir nobilissime, notissimum est, & ut deformitas eius ac profanitas iuventuti studiosa quasi ob oculos proponeretur, ex privati inter nos colloquij occasione visum est hisce canicularibus ferius declamatiunculam versibus de hoc monstroso dogmate compositam publicè recitare, & impressam ad te, à quo i[n]tib[us] quodammodo huius carminis profecta est, remittere. Tu pro tua pietate & humanitate hoc quicquid est laboris boni consules, meq[ue] amabis. Dat. Idib. Sextilis. An. 1607.

T. Nob.

Studioſus

SIMO STENIUS

CAR-



CARMEN  
DE ABOMINANDO MISSÆ  
SACRIFICIO

**I**CERE fert animus, non in nova corpora  
formas  
Mutatas, quales cecinit, cui patria Sulmo,  
Gloria Pelignæ gentis cognomine Naso,  
Ingenio, vates inter, vel primus habendus:  
Sed Metamorphosin, quâ vix mirabiliorem  
Audiit in terris vel Cuba, vel ultima Thule.  
At repetenda mihi quædam sunt altius, ut res,  
De quâ versiculos fundet mea Musa seniles,  
Cognosci melius possit: cum simplicitatis  
Pertæsum esset Apostolicæ, quos Martia Roma  
Pontifices venerabatur, rata Numinis instar  
Esse sibi, ambitio paulatim crevit, & aucta  
Regum opibus, nil non tentavit, uti, quibus ante  
Servierat, posset dominarier: Induperatorem  
Aggredier primum visum est, & pristina jura  
In clerum eripere huic, dein <sup>fortiter</sup> artibus iisdem  
In plebem, & gladium vibrare utrumque, nec absque  
Exemplo, quod rex fuerit simul atq; Sacerdos  
Melchisedech priscus, C H R I S T I typus, vt Papa Christi  
Legatus, (si fas nobis hoc credere) jacto  
Hoc fundamento restabat quærere, quanam  
Insula cum sceptro posset retinerier, & qua  
Augeriratione: requirere utrumq; videbant

A . 2

Divitias, auriq; infecti & pondera facti,  
Omnia queis parent divina humanaque: quare  
His corradendis inventæ sunt pedetentim  
Multiplices technæ, præeunte superstitione:  
Quæ simul ac vidit tantis de rebus haberi  
Concilium Patrum, quis cardo nomina fecit,  
(Credo quod horum operâ claudatur janua cæli)  
Dalmaticâ sumtâ, & lustrali aspersa liquore,  
Aureolum oscillum manibus tenet, & pede lento  
In medium progressa silentia rupit, & hisce  
Exorsa est verbis: O mundi lumina, tuque  
Spesq; decusq; meum, triplici spectande corona,  
Par soli splendore tuo, quo fospite nunquam  
Romanas ego res dicam periisse, sacerdos  
Summus es, in cunctis repræsentans Aarona.  
Utq; illum sub se perhibent habuisse Levitas  
Innumeros, sic tu per terras agmina coge  
Rasa Sacerdotum, tibi quæ sint propria, jure  
Jurando ad nutus omnes obstricta, quibus cum  
A te factorum Monachorum junge catervas.  
Horum ope vel totum absq; armis deviceris orbem,  
Et quascunq; voles nummis spoliaveris arcas.  
Quæris forte modum, paucis, adverte, docebo.  
Res vitamq; hominum, spes & formido gubernant,  
Quis scitè potis est uti hisce duabus, abundè  
Quantum nummorum volet, is sibi colliget: ergò  
Sedis Apostolicæ quando vis maxima, sæclis  
Confirmata aliquot, (nam quod decernit ubique  
Prævalet) incutiant Romana edicta timorem.  
Sic tamen ut spes hunc paulò post læta sequatur,  
Quam faciat fulvis differta crumena monetis.  
Gratia nam quamvis culpam diuinam remittit,

Non



Non tamen & pœnas abolet, cui vis subeundas,  
Æternas, verùm bonitas mitissima Patris  
Mutat in has, quas quis persolvat tempore certo,  
Seu dum vita manet, seu fato functus, in igne  
Qui peccatorum reliquam labem excoquat omnem,  
Justitiæq; Dei faciat satis: interea si  
In flammis animæ teneantur longius, usq;  
Quadrantem extremum dum pendant, liberet hasce  
Summi Pontificis prompta indulgentia cunctis,  
Qui numerant nummos: hæc auri plena fodina,  
Unde dari possint vel milletalenta quotannis  
Petrino Solio, sic, ut Monachis sua quadra  
Integra sacrificisq; sit, & merito: quod utriq;  
Fiscum præ reliquis locupletant Pontificalem.  
Horum commendanda industria, condecoranda  
Donis eximiis, & legibus exornanda,  
Quæ tutos præstent pœnâ quacunq; solutos.  
Quod si flagitiis incestis dedecorent se,  
Si vi matronas stuprent, castasq; puellas  
Vel prece vel precio victas, vel deniq; blandis  
Pellecas verbis, si cædibus atq; rapinis  
Infames clueant, si furtis, siq; monetis  
Cudendis vetitis, divina humanaq; jura  
Contra, patrantes quidvis impunè, nefas sit  
His afferre manus, vel vincitos tradere justo  
Suppicio, nec enim verum est, ut Laicus unctos,  
Excelsi Domini vel fœdo carcere multet,  
Vel nece: sic reges olim dimittere jussi  
Vel maris Jonii dignos submergier undis,  
Ob scelus infandum, torrente vel igne creman.  
Hos punire tuum Pater est sanctissime, soli  
Hoctibi concessum: Procerum regalia cessent.

A 3



Ad canones collata tuos. Sed pergitus, atque  
Festinamus ad id, quod nostri firma columna  
Regni est, quod fulcrum Romanæ Religionis,  
Quod si sustuleris, vel momento unius horæ  
Collabi videas, quæ magno extructa labore  
Et studio præsens ætas miratur, & ætas  
Postera (ni fallor) mirabitur: ut mihi sæpè  
Hæretici bilem movere, moventq; querendo,  
Pristina mirificis mutari ritibus, ut vix  
Simplicitatis Apostolicæ vestigia cernas  
Ulla, sacerdotum tot millia fana replere,  
Quot vix Persarum rex magnus in Hellada duxit.  
Cum tamen, ut perhibent, Ecclesia noverit unum  
Prisca sacerdotem, & tantum quoq; noverit unam,  
Progenere humano quæ oblata est hostia, cunctos  
Consummans in perpetuum qui sanctificantur,  
Atq; oblata semel, nünquam repetenda, mori quod  
Haud sit fas iterum per quem nos vivimus omnes  
Unde sacris aliis negitant opus esse, aliisq;  
Mystis, quin addunt petulantius absq; pudore  
Esse sacerdotes omnes, quotcunq; fideles  
In terris degant, dominoq; offerre potenti  
Non tauros, nec oves, sed purâ mente precesq;  
Et grates, vitamq; piam, & virtutis amantem.  
Ad mensam Domini quoties accedimus, ajunt,  
Et panem ac vinum, sacra symbola, sumimus ore,  
Mors Christi toties animum subit, atq; profusus  
Electos propter fracto de corpore sanguis.  
Pro tanto merito Patrem laudamus, & hymnos  
Accinimur rati, & pravos, quantum poteremus  
Corrigimus: panis substantia quod mutetur  
In carnem, constanter & ore & corde negamus.

Pr o-



Propria quod carnis, naturaꝝ; Sacramenti  
Et fidei articuli, sensus ratioꝝ; repugnant.  
Hæc & plura alia his nugantur trita sat, atq;  
Nota v l in triviis, quorum certissimus auctor  
Est Gallus quidam, (ut fama est) quem nominenolo  
Appellare suo, dignum quem lucida flamma  
Absumat, nisi Lanfranco cogente recantet.  
Utitur antiquis testibus, & Cyprianum  
Gregoriumq; citat, citat & magnum Basilium,  
Cumq; Augustino Chrysostomon, Eusebiumque,  
Et plures alios, quorum monumenta, relicta  
Blattis & tineis, Monachos evolvere nolim.  
Sed nos H retico neglecto, qu  mod  nata est  
De Sacramentis sententia, non ita priscis  
Nota, hanc unanimes decet ore & corde probare:  
Nempe sacerdotes rasos & largiter unc tos  
Per Missam (quocunq; etymo sic illa vocetur)  
Officio Mediatorum defungier inter  
C lestem Patrem & c tum (qu  Ecclesia dicta est)  
Atq; offerre D  o corpusq; & sanguen, id ipsum  
Corpus, suffigi in cruce quod visum est, & eundem,  
Vulneribus visus qui promanare, cruorem:  
Hocq; opere à mundi rectore D  o bona qu vis  
Impetrare, idq; imprimis, ut crimina culp   
Cuncta remittantur, vivisq; & lumine cassis.  
Postremo hoc agere, ut meritum Christi juvet illos,  
Applicuisse volent quibus ipsi: (non tamen absque  
Nummorum pretio numerato) scilicet h c est  
Missai natura, foris qu cunque requirat,  
Quid multis memorem vobis notissima, Patres?  
Altare ex saxis constructum, reliquiasque  
Inclusas in eo sanctorum, pallia omitto.

Cam



Candida, & ardentes candelas, arteque factos  
Ex auro calices, quibus & Judæus Apella,  
Et gentes usæ: nec opus narrare, sacerdos  
Quali munditia, vel quali debeat esse  
Vestitu ornatus, sacra ne mysteria tractet  
Illotis manibus, vel non benè comptus ad aram  
Accedat, mutaturus (mirabile dictu)  
Verborum vi quinque rotundi crustula panis  
In verum Christi corpus, viniq; liquorem  
In verum sanguen: placet hæc sententia nostra?  
Ferte Patres oro clarâ suffragia voce.  
Unum est quod fueram vos penè oblita monere,  
In verbis Christi  $\rho\eta\tau\delta\nu$  retinete, modumq;  
Quo caro sit præsens, cauti reticete, Deoq;  
Rem totam ut par est, committite; nam simul atq;  
Hæc argumentis tractare arcana voletis,  
Intervos ipsos discordia nata movebit  
Doctrina exultis risum, stomachumq; Idiotis.  
Hoc fore præfigit mihi mens, cum lis erit orta  
De sensu Christi verborum quattuor, inde,  
Ut vereor, rixæ nascentur discidiumq;  
Non sine jucundis spectaclis Hæretorum.  
Præsertim si vox novies contorta vel una  
A Monachis Monachos dispescet, non sine damno  
Ejus, quæ nobis melior sententia visa est.

Vana superstitione postquam hæc effata quievit,  
Mox exsurrexit Lanfrancus, cumq; probasset  
Omnia, quæ fuerant memorata, Berengarianum  
(Suffragatus erat cui paulò ante ille cothurnus)  
Callidus oppugnat quasi falsum dogma sophista,  
In Vercellensi synodo, sub præside, Nonus  
Quem Leo, pro se submiserat, Hildebrando,

Patro-



Et persuadet uti Scotus & Fredefardus (uterq;  
Patronus veri constans) damnentur iniquè  
Hærefoes, primumq; Metusia tum stabilita,  
Postq; Turonensi in Synodo, sub præside eodem,  
Confirmata fuit, vivo Victore Secundo.  
Cumq; Berengarij victrix sententia multis  
Esse videretur, conventus tertius actus,  
Nicoleos Româ quem indixit in urbe secundus.  
Hic tandem effectum, Papa quod quæsiverat ante  
Atq; extorta Berengario palinodia per vim  
Supplicii terrore, sed ad sua deinde reversus  
Lanfranci aggreditur portentum fortius idem  
Veraq; defendit, quæ perfidus Hildebrandus  
Suppressit penitus factus Papa (septimus ille  
Gregorius dictus) Romano in Conciliabulo  
Dogma Berengarii seriens, sed fulmine bruto.  
Sic Christum natum post annis mille, receptum  
Prodigium hoc templis, cœtu mœrente piorum.  
Tempore ab hoc Monachi (quos veri inscitia agebat  
Cæcos, atq; error palantes tramite certo  
Quos depellebat) non cessavere tueri  
Absurdum monstrum, donec vir nomine Vualdo  
Integer & dives Lugduni natus in urbe  
In sacramentis mutari elementa negavit:  
Distinguenda docens & res & symbola rerum.  
Multi huic assensi, quos etsi sœva tyrannis  
Pontificum afflixit, flammisq; absumere cœpit,  
(Instinctu Hispani Domini de nomine dicti  
Vincentisq; truci quemvis feritate tyrannum)  
Non tamen in cinerem potuit convertere cunctos,  
Cum suboles horum nostro quoq; tempore duret,  
Vualdone extincto ter denis vix reor annis

B

Post,

Post Synodus Romæ Lateranensi celebrata  
In templo, Cathedræ Petri tum præside, cuius  
Nomen in Hexametro non possum ponere versu.  
Multa dedit nocumenta, hinc falsò innoxius idem  
Dictus, cum forma meliore Nocentius esset.  
Symbolon hic fidei vulgavit, quod furiosa  
Turba Sophistarum Niceno æquavit, in illo  
Credere mandatum est cunctis, quod sub speciebus  
Panisq; & vini corpus sanguisq; latenter  
Occultus maneat (vis hoc divina operatur  
Si quid habet certi Monachalis opinio, quod vix  
Crediderim, tantus fallendi his incubat ardor.)  
Post hoc decretum virtus augescere Missæ,  
Atq; esse in magno pretio, quod tempore eodem  
Exorti mendicantes, qui commoda Missæ  
Infinita suis cœpere extollere verbis,  
Inde sibi lautum meditantes querere victum,  
Et nitidis fundare accepta nomismata villis,  
Si foret illa frequens numero: fœcunda sat ætas  
Ista fuit Monachis, & acutis plena sophistis.  
Viderat Hugonem, Bonaventuram, & Raimundum,  
Albertum Magnum cognomine, Aquinatemque  
Thomam, de Missâ meritum bene, cui Papa gratus  
Esse volens, calicemq; dedit, mitemq; columbam,  
Posset ut his uti pro insignibus: ista eadem ætas  
Festum introduci vidit de corpore Christi  
Pontifice Urbano, hinc facta auctior artolatria.  
(Sub Quinto Clemente Papa,) quam non tamen omnes  
Amplexi articuli ut declarant, quos Papa eodem  
Tempore damnados curavit, in hisce negatur  
Quod sacramentum sub se venerabile Christi  
Contineat corpus, lepideque notantur ibidem

Sacri-



Sacrifici nummis vendentes crustula panis,  
Ridenturq; sacerdotes, quibus ipius Judas  
Præfertur, precio quod prodidit ille Magistrum  
Sat magno, his nummis vix denis veneat idem.  
Paucis post annis Vuiclesi exorta Britani  
Pontificum oppugnans tætros doctrina furores,  
Quam cupidè amplexus fuit Hussus, vir pietate  
Insignis, cum discipulo, facundia cuius  
Mira ipsis Italis visa est, reprendit uterque  
Errores magnâ cum libertate Papales.  
Quamq; fidem fuerat constanter uterq; professus,  
Obsignaverunt proprio quoq; sanguine, flammis  
A Synodo exusti, multum indignante Bohemo.  
Unde grave exarsit bellum, vetricibus armis  
Dogmata Pontificum Zisca exturbante, cruentoq;  
Hæreseon labem Marte insectante per agros,  
In quibus eminuit monstrosa Metusia Graiis  
Ignota & Latio: res barbara barbara vox est,  
Et tamen hoc nostro sæculo firmata Tridenti  
(Proh pudor) à Patribus, quos tellus Itala misit  
Quosq; cruoris Iber sitiens, quos Gallia paucos,  
Guisius in quibus est numeratus, turbo quietæ  
Pacis, ad arma ciens, Alectûs instar, ad arma,  
Et consanguineas stimulans ad prælia gentes.  
O cæcas hominum mentes, o pectora cæca,  
Tanta quib. portenta placent, quid n. mage ineptum,  
Quid mage blasphemum, quam fingere posse creari  
A mortali immortalem, potin' est homo, mundi  
Efformare Deum? nullas insanias gentes  
Talis pervasit: Phrygio velatus amictu  
Ex adyto mystes positas accedit ad aras,  
Et canonem tenui mussat cum murmure missæ,

Solliciteq; cavet ne Laicus hauriat aure  
A tergo assistens verba illius , hoc si fiat  
Res summo multis videatur digna piaclo.  
Quin ingens ipsum lectorem corripit horror,  
Cum consecandi proferri formula debet,  
Quod metuat culpæ mortalis ne insimuletur,  
Si qua minus recte tremulo vox excidatore,  
Verbaque sic effert, impuri flatus ut oris  
Cum signo sanctæ crucis unà attingere possit  
Et panem & calicem, quo sic immutet uterque  
Naturam citius : vesania sacrificolarum  
Tanta est, quam cumulant planè perversa precati.  
Quid magis enormè est, quam quod peccator homo au-  
det

Exorare Patrem, Gnatum ut dignetur habere  
Acceptum, gratum que sibi, vultuque benigno  
Aspicere: hoc potius debebas Mystra rogare,  
Ut propter gnatum te dignaretur habere  
Acceptum. Sed quid sibi verba sequentia poscunt?  
Omnipotens Deus hæc jubeas ut perferat ad te  
In sublime altare tuum Angelus: hoc malè Christo  
Convenit in cœlis residenti, perpetuoque  
Patri apparenti pro nobis: præterea quis  
Miro inferciri Canoni ferat ausu aliena  
Verba Dei verbis? contra mandata vetantis  
Quicquam addi aut demi: taceo mysteria sacra  
Ignorâ plebilinguâ celebrarier, ut sic  
Extollat stupor & populi admiratio Missam  
Non intellectam pluris facientis, & ipsos  
Sacrificos auro, solito majore, beantis.  
Insuper accedit non dissimulandus abusus  
Quod secus, ac Paulus præcepit, mors fileatur

In



In cruce, quam subiit Dominus, quæ voce sonorâ  
Et notâ fuerat memoranda, ut Apostolus idem  
Censuit, è cælis redeat dum Christus Iesus.  
Peccat item Flamen comedit cum solus, & haurit  
E poclo, neq; enim Domini sed Flaminis hæc est  
Cœna, & privata artolatræ, non publica, cuius  
Autorem nemo potis est proferre, nec audet.  
Inventæ sed cauſſa latet plærosque: Sacerdos  
Hac visus ratione augustinior: hinc fabricata  
Fraude malâ duplex communio: Laicæ pane  
Contenta esse potest, mystis præbetur utrumque  
Symbolon, ô fures cruce vel quadruplicē dignos!  
Quin ut sacrificis exaugerentur honores,  
Decrevere Patres sacris arcere maritos,  
Etsi Paulinum mandatum, ut Episcopus esset  
Unius uxoris vir castus, præcipiebat.  
Tum Missæ ipsius majestas ut foret ingens,  
Addita sunt variis ex ritibus ornamenta,  
Quos Numa Romanis, vel finxit Hetruria Lydis,  
In scenâ nec enim tot gestus histrio format,  
Hierophanta quot in templo mirabilis edit.  
Plura etiam quovis præbens spectacula Mimo.  
Incurvum modò se, modò rectum ostendit, in orbem  
Interdum se versat, & interdum in medio orbe  
Subsistit, nunc stat, nunc tardus inambulat, utq;  
Brachia nunc pandit, sic utraq; contrahit idem,  
Deprimit interdum, non raro tollit in altum:  
Utque habeant digiti, quod agant, his mille figurat  
Signa crucis, tacite videoas hunc sæpe loquentem  
Secum, sæpe alios (quos non dignatur ocellis  
Aspectare suis) affantem voce præaltâ,  
Non raro exili panem calicemque susurro

B 3

All-

Alloquitur, jures hunc sæpè quiescere somno,  
Post experrectum suspiria ducere ab imo  
Pectore conspicias, & cantillare boatu  
Sat claro; sed quis numerare superstitionis  
Instrumenta potis siet omnia Romulidarum?  
Medæ magicos cantus imitantia & artes,  
Quarum ope, si vati Nasoni credimus, amnes  
In fontes rediere suos, & nubila pulsâ  
Atq; inducta, suis radicibus eruta quercus,  
Celsaq; Thessalici tremuere cacumina Pindi.  
Utq; eadem valuit nocturno carmine (falsis  
Si qua fides adhibenda) seni exhauire cruentem  
Cum jugulum stricto recluderet Æsonis ense,  
Et supplere cava adjuncto corpore rugas,  
Canitie subito pulsâ, macieq; fugata:  
Sic poterit vani magica incantatio Mystæ  
Pemmatium nummum referens, qui tres valet asses,  
Mutare in corpus, cui sit dimensio trini  
In longum cubiti, latum adde simulq; profundum.  
Ponere duriciem si tempore Deucalionis  
Saxa, (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)  
Molliriq; mora potuere, & ducere formam  
Humanam. in corpus sic panem vertier, haud quis  
Crediderit, nisi testentur vel saecula septem,  
Hetruscam stolidè mirata superstitionem.  
Unus porrò error latitat, quem dicere possis  
Mortiferam pestem pietatis, dogma prophanum,  
Quo statuunt opere ex operato (barbara fas est  
Nominibus paribus vocitare) per omnia signa  
Mystica, distribui dotes, quas gratia fundit  
Larga DEI, justos faciens quoscunq; peracti  
Vi ritus, quamvis motus bonus absit, & absit

Vera



Vera fides, modò nec latro sis, nec fur, nec adulter,  
Mortalis peccati absq; obiice, ligna securis  
Sic impacta secat propriam retinentia sedem,  
Si modò nec nodus, nec clavus ferreus obstet.  
Iam si per meritum Missæ peccata remitti  
Sacrifice credis, quo, quæso, mors tibi Christi?  
Nec tamen errorum satis est, dementia pergit  
Accumulare alios, impuroq; asserit ore  
(Sæ vior in Dominum, quam qui crucifixit eundem  
Pilati miles jussu prætoris iniqui)  
Sub specie panis corpus comedì ore, bibique  
Sub specie vini mortalibus ore cruorem,  
Sive pius veniat sive impius, esca parata  
Omnibus & potus: fertur celeerrimus ille  
Commentator Aristotelis lustrasse pér orbem  
Terrarum varias populorum relligiones,  
Præ reliquis idem tamen omnibus execratus  
Christiadām, quod, quem ceu præsens numen adorent,  
Ore vorent. hunc tu quanam ratione refutes  
Clerice, cui pater est Hispanus Loiola? mussas.  
Sed redeo unde abii: Postremò insania pulcrum  
Imponit colophona: jubet crustum Monachale  
Divino cultu venerarier (absit enim absit  
Panis ut exuerit naturam) perq; plateas  
Circumgestari speciosæ fercula pompæ:  
Hierothecis dein includi ex polline massam  
Vermibus absumendam, aut muribus arrodendam.  
Quod Monachorum grex cupiens vitare periculum  
Arte induratum (o dignos triplici cruce Agyrtas)  
Linteolum forma sub eadem substituerunt.  
Deprendere dolum, quos nostra Ecclesia quondam  
Doctores habuit, claros pietate fideque,

Et mon-



Et monstraverunt aliis, quicunque videre  
Præstigiatorum fucum voluere profanum  
Quis fuit & jocus est homines ridere Deumque.  
Quin inventi alii, paribus qui fraudibus usi  
Ad fallendum homines curarunt conficiendum  
Orbiculum ex ebore, ut magè sic durabilis esset,  
Et minus horreret vermes, muresve sagaces.  
Ah quoties tales aliis alii occurrentes,  
Restringunt dentes leviter, nasoque popellum  
Suspendunt: quondam sic norat aruspicem aruspex,  
Inque sinu tacito gaudebant credulitate  
Deceptæ plebis nummos sibi crescere in arca.  
Temporibus priscis homines risere politi  
Persarum gentem pro Diis fluvios coluisse,  
Informemq; Arabas lapidem, Scythiaq; colonos  
Harpen, & ramum excisum (ut fama) inq; dolatum  
Lignum Thespiadas Cariosque, Phrygas male sanos  
Duram, ceu perhibent, silicem pro matre Deorum,  
Romanos hastam pro Marte, Samumque, perennem  
Pro Junone Deâ, puteum. Quot vestra cachinnos  
Dicite Pontifices possit latria ciere  
(Panem seu speciem panis pro numine adorans)  
Quis vel mica insit pietatis? si foret una  
Hæresishæc, omnes Babylonide cedere cogat  
Quis sua cara salus. sed iam tot monstra facillis  
Roma suis abdit, quot si comprehendere tentem  
Versiculis, numerum complecti coner arenæ,  
De quorum densâ quoties caligine (VERI  
Obscuratricem hanc dicas) ego cogito, læta  
In laudes toties mea mens erupit, & hymnos  
Grata Deo recinit, cuius nos lumine largo  
Persudit bonitas, multis quod gentibus esse

Abstru-



Abstrusum voluit, quorum sapientia longè  
Major, quam nostra, est, major doctrina, & acumen  
Ingenii majus: sed plena superstitionis  
Ad res divinas mens cæcultare videtur,  
Nec potis est per se vero distinguere falsum,  
Quando corda ipsis Dominus referare recusat,  
Judicio nobis ignoto, sed tamen æquo,  
Injusti nec enim justum damnare quis ausit.  
Quapropter nostrum fuerit non claudere ocellos  
Ad lucem exortam, & studio curaq; fideli,  
Quæ nobis sunt indignis donata, tueri.  
Vera propagantes, ut postera sentiat ætas  
Mandatam fidei normam custodibus esse  
Perspectæ fidei: vigili sudore laborat  
Turba sophistarum, quibus est Germania plena,  
In defendendis Idolis, Hæresibusque  
Explosis olim: pudeat nos segnitiei  
Si pigeat contra ferre arma, & comminus hostem  
Aggredier trepidum, caussa hujus pessima: nostra  
Caussa bona est, quia caussa DEI est, hanc prodere turpe,  
Deserere scelus est, & in hac vel vivere dulce  
Sit mihi, vel, si res ita cogat, ponere vitam.  
Vos adolescentes vernal quibus integer ævi  
Sanguis, & ingenium veget acre, capessite pugnam,  
Et quantum in vobis est, debellate Maozim  
Robustum idolum: non pilis, non opus armis,  
Non gladiis, non tormentis, quis miles Iberus  
Mœnia subvertit, quis Belgam sævit in hostem,  
Quis Belga Hispanum mactat: tela arripienda  
Scripturæ, Pauliq; ensis stringendus, & hastæ  
His adjungendæ Patrum, quos secla tulere  
Pristina, quos natos olim melioribus annis

C

Admi-

Admirata fuit nostrâ felicior ætas,  
Doctores fidos, & qui vixere priusquam  
Dogmata inaudisset blasphema Ecclesia Christi.  
Quæ Monachi artolatræ populis, cæciq; sophistæ  
Obtrusere, novis portentis cuncta replentes,  
Atque Antichristo studiosè gratificantes.  
Hos nostri herœs (memori quos eximet ævo  
Nulla dies unquam) magnum decus Helvetiorum  
Zuinglius, & Martyr Tuscæ non infima gentis  
Gloria, Gallorumq; duo ornamenta piorum  
Beza & Calvinus, freti virtute Tonantis  
Paulinaq; armatura feliciter usi  
Devicere, suisq; exturbavere Maozim  
Idolum templis sat adultum: quos imitati  
Doctores aliis in gentibus Antichristi  
Relliquis fœdas, sordesq; superstitiones  
Funditus ejecere. D E O sit gratia soli.  
Illi plantarunt in agris, hortosq; rigarunt,  
Læta sed à Domino venit Benedictio solo  
Hæc cecinisse seni satis est, cui carmina plura  
Suppeditare negat mea Musa, precata potentem  
Cæli & terrarum Dominum, ut splendore serenans  
Verbi cuncta sui tenebras dispellat oborta,  
Mentibus humanis, & veri cognitione,  
Illustreret cupiditas hujus, nostrumq; Lyceum  
Munifica bonitate beat, mitemq; Patronum  
Et Dominum Quarti Friderici nomine clarum  
Ad commune decus patriæ, præsidiumque  
Undique per gentes depresso religionis,  
Non tamen oppressæ (sequitur Victoria V E R U M)  
Cum subole incolumem servet cum conjugé fidâ.  
Hæc est summa mei voti, quod vestra sequentur.

F I N I S.







Fc 1257



66

10/17 11/0



